

auf abzielet, eine wahre Hælle auf Erden hervor zu bringen;
sic denique BENSONIVS, qui in paraphrasi quidem verum;
 Titio autem, cui tantum incendium originem debet, ipse igne infernali comburendus erit, sed in nota s) futurum rursus deserit, unde BAMBERGERVS in vers. sua germ. sic eum interpretatur: *ein Feuerbrand aber, der eine solche schreckliche Verbrennung verursacht, muss unstreitig selbst von den hœllischen Flammen angezündet worden seyn.* Ac videtur sane etiam Gentilibus aliquid suboluisse de fomite ignis, qui hominum animos ac linguam, & per hanc totam naturam, inflammat, apud inferos in gehenna quærendo, quando Mythologia ipsorum fingit, *Furias accensis e Phlegetonte facibus terram accendere, & imprimis impios atra face agitare;* vid. e. g. VIRGILIVS *Æn. L. VII. v. 323 340.* Posteriùs BENGELIO placuisse, prodiit nota in Gnom. ubi, *activo, inquit, passivum postponitur, nam magis magisque e sua potestate exit, qui lingua peccat;* Sic καὶ-καὶ, &—&, gradationem hic innuit, ut sæpe. Nobis nil obstare videtur, quo minus utrumque jungamus, uti & a parte rei utrumque revera conjunctum est; *Lingua, postquam inflammata est a gehenna, rotam naturæ inflammat, ac deinceps ipsa etiam magis magisque inflammatur a gehenna.*

§. XVIII.

v. 7.

Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἐρπετῶν τε καὶ ἰσαλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμασαι τῇ φύσει τῇ ἀνθρώπινῃ.

Γαρ

Γαρ) Probat nunc Apostolus, non se *nimia* haec-
 nus dixisse de vi & efficacia *linguae*, cum omnia ma-
 gis potestati hominum subjaceant, quam *illa*, praeser-
 tim si a gehenna sit inflammata. Πασα Φυσις) 1) φυ-
 σις θηριων &c. ut & Φυσις ανθρωπινη in *sine vers.* pe-
 riphraستice dicitur pro *bestia*, pro *homine*, nec tamen
 sine emphasi *φυσως* mentio fit, quia simul ad *natu-*
ram seu ingenium & indolem rerum respicitur; Sen-
 sus est: nulla bestia tam *indomitae* est *naturae*, quin pa-
 reat *naturae humanae*; 2) vox *πασα* respicit species post-
 ea memoratas. Θηριων τε) & *ferarum*; θηριον est a
 Th. θηρ, *bestia*, unde germanicum *Thier*, uti ab aelico
 Φηρ est latinum *fera*. Alias est vox generis non spe-
 ciei, heic vero denotat speciatim bestias *terrae*, &
 ex his *feras* proprie sic dictas, conf. Act. X, 12. και
 πετεινων) & *volucrum*; De hac voce vid. ERASM.
 SCHMIDIVS ad Rom. I, 23. Primum hoc par com-
 plectitur *terram* & *caelum*, uti sequens par *terram* &
mare. Ερπετωντε) & *reptilium*, atque inter haec *ser-*
pentum maxime, unde LVTH. vertit: *und der Schlan-*
gen; certe a verbo ερπω non modo est latinum *repto*,
 per metathesin literarum primae syllabae, sed etiam *ser-*
po, per mutationem spiritus in s, ut ex graeco υλη *sil-*
vam fieri diximus ad v. 5. και εν αλιων) & *marinorum*,
 sive, quae in mari sunt, εν αλι οντα. Vulgata Hieron.
 vertit: *ceterorum*, unde suspicati sunt aliqui, v. g.
 MILLIVS, in graeco Codice, ex quo illa facta sit,
 extitisse αλλων seu εν αλλων quasi hac voce JACOBVS
 omnes reliquas animantium species comprehendere

voluerit; At cum hanc lectionem nulla alia Versio aut Codex habeat, (uno Velefiano excepto, qui tamen ex Vulgata correctus corruptusque videtur) felicior omnino est ERASMI conjectura, quod interpres latinus primum scripserit *cetorum*, Librarius autem ex oscitantia id mutaverit in *ceterorum*; ESTIVS certe exemplaria se vidisse ait, in quibus est *cetorum*; nec mirum videri debebat MILLIO, interpretem, qui alias textui græco religiose fere insistat, ἐναλιῶν reddidisse *cetorum*, cum vox *marinorum* in promptu esset; nam idem interpres similiter τοῖς ἑρπετωνῶν modò a genere ad speciem, seu speciem ad subspeciem reducerat, vertendo illud, non *reptilium*, sed *serpentium*, & quam maxime sane in promptu erat, de *cetis* heic cogitare, qui præ aliis beluis marinis indomiti esse videri poterant. *δαμαζεται καὶ δεδαμασαι*) 1) Præsens *δαμαζεται* & præteritum *δεδαμασαι* GROTIUS a JACOBO adhibitum fuisse ait, ut ostenderet, *perpetuum* hoc esse, & ut nunc *fiat*, ita *factum* semper; Sed BENGELIVS hanc præterea emphasin in hac locutione observat, quod *Passivum* *δαμαζεται* innuat *vim humanam*, cui succumbere debeat *feritas* ferarum, *δεδαμασαι* vero, quod *Medium* sit, simul significet, *feras tandem admittere* studium hominum in domandis ipsis, & *actu domari se pati*. 2) Ad rem ipsam quod attinet, haud immerito, quæ de potestate hominis in bestias heic dicuntur ad animum nobis revocant ea, quæ Gen. I. 26. & IX. 2. de dominio illius in reliquas creaturas leguntur, Adamo, ad imaginem Dei condito, mox post
crea-

creationem ejus concessio, & post diluuium Noacho, novo quasi diplomate, confirmato; Ut enim ibi mentio *imaginis div.* præcedit Gen. I, 26. *init.* ita hic sequitur v. 9. & quemadmodum ibi creaturæ dominio hominis subiectæ dispescuntur in ea, quæ sunt in *mari*, & sub *cælo*, & quæ in *terra* sunt, five ut jumenta, five ut reptilia, ita & hic; quin idem plane ordo tenetur in iis recensendis nostro in loco, qui & observatur Gen. IX, 2. ubi pariter *primo* memorantur *θηρία της γης*, deinde *τα ὄρνεα* seu *πετεινα τῶ ἀέρα*, ποττο *τα κινεμενα ἐπι της γης*, quæ hic, uti Gen. I. *ἑρπετα* dicuntur, tandemque *οἱ ἰχθυες της θαλασσης*. 3) Exempla dormitorum ab hominibus animantium omnis generis, etiam ferocissimorum, qui desiderat, is legat, quod ad *θηρία* spectat, PLINIVM in Hist. nat. L. VIII, 16. *Leones* ad M. Antonii currum triumphalem junctos, ÆLIANVM L. XV. C. 14. *Leones, Tigrides & Pardos* cicuratos, SVETONIVM in Domitiano, *Rhinoceros* mansuefactos, iterumque PLINIVM ÆLIANVM, nec non OPPIANVM & ARISTOTELEM, atque ex his LIPSIVM Epp. Cent. I. Ep. 50. *Elephantos* mire dociles, & mira edoctos, rursus PLINIVM L. X. C. 42. *επετεινοῖς* *Sturnum & Luscinias* Cæsarum, latine græceque doctas, PLVTARCHVM in Sympof. idem de *Perdice*, MACROBIVM L. II. Saturn. C. 10. *Corvos* Augustum salutantes, PERSIVM in Satyris, *Psittacum* χαιρε suum eidem adclamantem, denuo PLINIVM Libr. VIII. c. 71. e reptilibus *Draconem*, & L. X. C. 74. *aspidem* edomitum, K 3 item.

itemque e *marinis* L. IX. C. 8. *Delphini* in homines amorem, & denique *ÆLIANVM* L. VIII. C. 4. *Crocodili* mansuetationem, memorantes. Τη φύσει τη ἀνθρώπινη.) 1) Verba hæc vetus *Itala* male reert ad v. sequentem, vid. *MICHAELIS* ad h.l. 2) Vulgo Interpretes ista interpretantur in *Ablativo*, a *natura humana*, unde *PISCATOR* subaudiri vult ὑπο sed in *Dandi casu* omnia accipienda sunt, ut notetur *obedientia* eorum, quæ domantur, quasi diceretur: domantur & parent *naturæ humanæ*, hanc quasi *reveritæ*, sec. 1. c. *Gen. IX, 2.* unde simul patet, φύσει hic non tam de *ingenio humano*, varias artes domandi excogitante, uti aliqui volunt, quam de ipsa *natura* hominis, cujus quædam in brutis etiam *reverentia* est, intelligendam esse.

§. XIX.

v. 8.

Τὴν δὲ γλῶσσαν ἐδίδε δύνάται ἀνθρώπων δαμάσαι ἀκατάχρητον κακόν, μετὰ ἰὴ θανατηφόρον.

Τὴν δὲ γλῶσσαν) Qu. an intelligi hoc debeat de *lingua* cujusque *propria*, quod nullus hominum *propriam* suam *linguam* domare seu compescere queat, an potius de *aliena*, quod nemo *alterius*, adeoque *nemo alius nostram*, & vix ipse quisque suam, compescere possit; 1) Prius *GATAKERO*, *CAMERONI*, *BENSONIO*, *MICHAELI*, aliisque, placere video, ne vero objici queat, *pios* tamen *linguæ suæ* imperasse, *Num. XII, 3.* *2 Sam, XVI, 10.* *f. Pf. XXXIX, 1, 11.* *Prov. XXI, 23.* quod nisi fecissent, vana fuisset eorum *pietas*, teste

JACO-